

II. COMPARETTIA FALCATA. Tab. LXXIII.

C. calcare elongato, falcato; labelli lamina edentula.

Crescit in arboribus Peruviae inter Cassapi et Pam-
payaco. Floret Februario.

DESCRIPTIO. Planta parasitica, acaulis, spithamam alta, radicibus numerosis, simplicibus, repertibus, teretibus, extus suberosis, albis, longis. Vaginae nonnullae fibroso solatae, emarcidae, flavescentes circumdant basin foliorum incrassatam, bulbillum fere mentientem, semiteretem, obtuse et obscure angulosam, carnosam, laevem, lineas nonnullas altam, persistentem nec unquam in verum bulbum mutatam, folium solitarium apice ferentem et cum eodem articulatum. Folium oblongum, basi magis quam apice obtusiusculo attenuatum, planum, multinervium, nervis vix prominentibus, primario subtus obtuse carinato, carnosum coriaceum, laevissimum, nitidum, atroviride, tres circiter pollices longum, unum pollicem latum. Pedunculus ex ima bulbilli basi natus, erectus, foliis longior, simplicissimus, teres, a medio inde bracteatus, apice racemosus. Bracteae alternae ovatae, acutae, membranaceae, ad pedicellorum ab ovario cylindrico, curvo, glabro haud distinctorum basin solitariae. Flores resupinati, subsecundi, majusculi, octo ad novem lineas longi ab apice calcaris ad limbum extremum sepolorum inferiorum, univerte purpurei paullo in violaceum vergentes, colore DENDROBIUM SAN-

GUEUM Sw. referentes. Perianthium erecto patens, sepalis inaequalibus, nervosis: supremo (situ in flore supino infimo) libero, ovali, acuto, dorso paullo convexo, infimis duobus angustissimis concretis in unicum (situ in flore supino supremum) oblongo lanceolatum, acutum, dorso acute carinatum, convexum, basi in calcar elongatum, sepalis longius,

cylindricum, acutum, patentissimum, nectare abundante repletum: interioribus liberis, oblique obovatis vel subrotundis, acutis. Labellum ungue linearis, medio utrinque unidentato, superne canaliculato cum basi columnae articulatum, a sepalis liberum, lamina transversim ovali, vel reniformi, antice emarginata, lateribus subrepanda vel undulata, plana, disco nervosa nec cristata, venosa, membranacea, subitus ad punctum ubi cum columna jungitur auctum corniculis duobus patentibus, filiformibus, intra calcar reconditis, idem fere longitudine adaequantibus, lineas quatuor longis, cum ipso labello discesso secedentibus. Columna recta, cum ovario continua, curva, brevis, basi attenuata, semiteres, medio antice marginata, marginibus membranaceis superne latioribus, fovea terminali marginata, postice unidentata. Anthera terminalis, opercularis, decidua, cum dente foveae suae postico articulata, bilocularis. Pollinis cereacei massae globoso ovales, filis duobus elasticis spiralibus caudiculae ovali, membranaceae, basi operculatae adnexae. Operculum hemisphaericum glandulae stigmatis cylindricae, brevi adhaerens. Stigma versus apicem columnae, marginibus interioribus nudum, parvum.

Explicatio tabulae LXXIII. COMPARETTIA FALCATA. — 1) Sepalum superius. 2) Sepolorum interiorum unum. 3) Sepala infima conata cum calcare. 4) Labellum cum corniculis denudatis et columna. 5) Labellum. 6) Columna a latere. 7) Eadem antice conspecta. 8) Pollen.



Comparettia falcata.